sum et curiositati meae satisfeci, melius omnia considerans et notans: advesperascente autem die redii navigio in cumbam ad coenam.

Tertia die facta fuit in crepusculo maris tranquillitas et venti conticuerunt, quod nostri gubernatores cernentes parari naves ad profectionem jusserunt, quae praeparatio fit cum ingenti galeotarum labore, et dum omnia parata essent, et nihil nisi etiam tenuem bonae aurae flatum exspectarent, mutata est aura in pejus et surrexit ventus magnus contrarius, nec exire poteramus, et omnis labor galeotarum inanis fuerat, et ita mansimus ibi cum taedio. Verum tamen quia S. Barbarae festum instabat, iterum sperabant nos in crastinum prosperum ventum habituros meritis beatae Barbarae, quae etiam maris potens patrona esse creditur.

Quarta die, quae est beatae Barbarae dies, contrarium spei nostrae accidit, nam mox, ut noctis medium praeteriit, obfuscari nubibus coelum coepit et turbari ventis, aëre coruscationes crebrae videri, tonitrua audiri et pluviae refundi, et per omnia tempus navigationi contrarium fuit, cum diei ortum, neque etiam lunam nec stellam nec solem videre poteramus, nec ulla apparebant nobis sidera, duces navigantium mare: in tantum autem pluvia inundavit, quod cooperuerunt omnes naves suis opertoriis, sicque sedimus in taediosis umbris et tristem diem egimus. Galeotae male contentabantur de S. Barbara et iam dedignabantur ei solita obsequia exhibere.

Quinta die meliori qualitate aër disponebatur, nam venti desidierunt et maris fremitus mitigatus est et fugatis tenebris serenior illuxit sol. Statim autem levatis anchoris, solutis promesiis et acatone, epidromo et dolo erectis, cum gaudio extra portum evecti sumus sperantes nos ventos secundos habituros. In hac spe dominus Johannes, socius meus, indeliberate orans hos protulit versus, quos mox ab ejus ore conscripsi, quo labori tunc insistebant:

Iam pater omnipotens tantis miserere periclis,
Atque de thesauris ventos dimitte secundos.

Siquidem magnus metrista, rhetor et orator fuit praedictus vir et ad quemlibet eventum statim orationem metricam promere novit. Cum ergo extra portum venissemus, surrexit ventus late-

Ende
Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;